

¶ Motus augiū & stellarū fixarū, est arcus zodiaci primi mobilis inter caput Arietis primi mobilis, & caput Arietis nonæ Sphæræ, qualis in hoc diagrāmate est arcus $o Q$. ¶ Medius autē motus accessus & recessus octauæ Sphæræ, est arcus circuli trepidationis $I \& H$, à puncto supremo quartæ secundum successionem signorum usq; ad caput Arietis octauæ Sphæræ computatus, qualis hic est $L O Q$. ¶ Æquatio autem octauæ Sphæræ, est arcus eclipticæ nonæ Sphæræ, inter centrū circuli trepidationis & circulum magnum, qui à polis eclipticæ nonæ Sphæræ per caput Arietis octauæ transit, eaq; per arcū, qui est à centro circuli parui ad usq; I designatur.

ÆQVATORII OCTAVI ORBIS
in plano delineatio.



X centro D , interuallo autem DB datæ quantitatis, describatur circumferentia $BCFE$, sub hac circino compresso alia, tantum cum ea spacium concludens, ut in id commodè numerus signorum inscribi possit, rursus sub hac tertia, strictius aliquantulum priori interuallum describens, in quod characteres numerorum inscribentur, inde quarta ex eodem centro deducta, quæ cum proximo angustissimum spacium compræhendat, in quo singuli gradus designabuntur. Hi igitur ambitus duabus diametris quadrentur, singuli deinde quadrantes in tres partes æquales diuidantur, & apposita ad D centrum regula, per singulas sectiones ab extimo ad intimū rectæ ducantur. Harum itaq; partium quælibet rursus in tres partes æquales secetur, inde singulæ bipartiantur, illæq; à secunda circumferentia interiori rectis iungantur, adiecta nempe D centro & singulis diuisionum punctis regula, harū deinceps quælibet in angustissimo spacio in quinque partes æquales diuidatur. His ita ritè peractis, numeri duodecim zodiaci signorum inscribantur inter duos ambitus exteriores, incipiendo ab unitate secundum seriem numerorum à dextra leuam uersus, in sequens autē interuallum signentur notæ numerorum per denarios, aut si instrumenti quantitas ferat, per quinarios. Et hæc quidem zodiaci in plano designatio. Æquatio autē octauæ Sphæræ ita commodè inscribetur. Intra hos iam iam designatos orbis alij quatuor ambitus describantur, similia prioribus spacia designantes, ingrediatur deinde proxime sequentē tabellā æquationis octauæ Sphæræ, & ex ea desumatur cū proposito gradu æquationis signū, gradus & minutum zodiaci ei respondens, & apposita D centro regula, & termino numerationis, ducatur recta à secunda circumferentia ad interiorē, ascribendo ei characterem numeri gradus propositi, deinde quod est angustissimū hac quoq; lege diuidatur. Postremo in extimum horum spacium ad primam medietatem zodiaci, quæ est ab unitate in senariū scribatur, circa sectiones

di-